

U
h
216



PETRI LE CERF,

Phil. & Med. Doctoris,

Nec non Serenissimi Hassiæ Prin-
cipis Auliatræ & Physici Darmstadini,

De

FEBRI GALLICA
TRACTATUS.

FRANCOFURTI

Apud MARTIN. HERMSDORFF.

Typis JOHANNIS WUSTII.

M DC CXIV.

1694



D. M. D. Phil. & M. D.

Serenissimo & Celsissimo Principi,

Principi ac Domino, Domino

ERNESTO LUDOVICO,
Hassia Landgravio, Hirsfeldia

Principi, Comiti in Catimeliboco, Decia, Ziegen-
haina, Nidda, Schaumburgo, Ysenburgo
& Budinga &c. &c.

Principi Pio, Sapienti, Iusto,

Domino meo Clementissimo,

Regis Regentium benedictionem,

Regiminis Principalis tranquillitatem,

Populi copiosi fidelitatem,

Vitæ longæ felicitatem,

animitus precans

libellum hunc

humillime D. D.

Pet. le Cerf, Phil. & M. D.

Sc-

Serenissime & Celsissime Princeps,

Princeps ac Domine

Clementissime

ANtequam nuper fronte &
corde ad terram pronus *Se-*
renitatem Tuam Francofur-
ti humillimè salutassem: mihi ab of-
ficii

ficii mei laboribus parumper recu-
banti, mirum quid in somnis pau-
lo ante contigerat. Ipsa scilicet *Se-
renitas Tua* eburneo suffulta folio,
visa erat Martem de præsentium rerum
statu cum Apolline differentem a-
criter alloqui his verbis;

*Siccine Mars ubicumque furens, impune timorem
Incuties, nec eris denique cade satur?*

*Siccine vastabis, nullo discrimine, sedes,
Quas chorus Aonidum, quas & Apollo colit?*

*Desine, & immodicos tandem compone furores,
Hæsiacis ut Pax aurea regnet agris.*

*En timide fugiunt Musa tua classica, Giffæ
Vix una è Medicis fontibus haurit aquas.*

*Sed quid plura? jacent vicina gaudia terra,
Darmstadtiumque fera Parca dat atra neci.*

His attonitus dictis somno excuti-
tor, meque confero statim in ur-
bem: ubi *Serenitas Tua* sic myste-
rium

rium aperiens clementissimè jussit,
ut calamo promptissimâ arrepto
manu, de morbis hîc loci grassan-
tibus aliquid conscriberem. Quod
autem non scripserim solùm, sed
Serenitati Tuæ opusculum hoc e-
tiam dedicare sim ausus, facit *Tua*,
Serenissime Princeps, maxima in
servulum *Clementia*. Et certe ubi-
nam gentium augustius, tutiusve
præsidium reperire potuissem, sub
quo cymba mea hocce aliquot die-
rum ingenii foetu onerata, in tam
æstuoso momorum pelago, velut
in portu navigaret? nullibi sane.
Quamobrem pro *Augustæ Sereni-*
tatis Tuæ, proque *Serenissimæ*

Conjugis, & quos Divina concessit
gratia, *Principium Inventutis* in-
columitate Nestorea, Regimineque
Principali felicissimo vota coram
supremo Divinae Majestatis throno
supplex fundere non desinam.

*Floreas ergo Invictissimo Romano
rum Imperatori, quatuorque Au-
gustissimis Europæ Regibus con-
sanguinitate propinque Princeps
Serenissime, regnes Immortalitati
consecrande!*

Darmstadii 7. Calend. Maji,

M D C XCIV.

Cen-


MUT Censori. INDEX

Sedula fugit apes variis è floribus omne
Quod sapit, & veluti flos erat ante manet.
Sic nostro, qui jam prodit novus, utere Censor,
Pagina si quid habet quod placet ulla, libro.
Sin minus, adde precor mordaci frena labello,
Dignius aut Momi pectore profer opus.



Lectori Candido.

Si liber, inscriptos Authorum nomina, flores
Non habet, Authorum parcat, opinor, amans.
Hi mihi nam desunt: hos dudum Martia proles
Vulcano voluit proh dolor! esse sacros.
Ergo se nudo sistit mens pectore, Lector
Cui sincera placent pectora, pectus habe.



IN-

INDEX CAPITUM.

- Caput I. *De Febris gallicæ nomine. pag. 1.*
II. *De ratione nominis. pag. 2.*
III. *De sanitate & morbo. pag. 2.*
IV. *De febribus in genere. pag. 3.*
V. *De febris gallicæ definitione. pag. 4.*
VI. *De lymphæ effervescentia. pag. 5.*
VII. *De effervescentia sanguinis. pag. 5.*
VIII. *De subita actionum læsione. pag. 6.*
IX. *De miasmatum existentia. pag. 7.*
X. *De natura miasmatis gallici. pag. 7.*
XI. *De impedita spirituum transpiratione. pag. 8.*
XII. *De constitutione corporis. pag. 9.*
XIII. *De spiritibus & partibus. pag. 10.*
XIV. *De aëre. pag. 11.*
XV. *De cibo & potu. pag. 12.*
XVI. *De somno & vigiliis. pag. 12.*
XVII. *De vermibus. pag. 13.*
XVIII. *Idea febris gallicæ. pag. 14.*
XIX. *De cura præparativa. pag. 15.*
XX. *De diætâ. pag. 16.*
XXI. *De motu, quiete, somno, excretis & retent. pag. 18.*
XXII. *De movenda alvo. pag. 19.*
XXIII. *De adstringenda alvo. pag. 20.*
XXIV. *De prognosi. pag. 21.*
XXV. *De cura & emeticorum usu. pag. 23.*
XXVI. *De cautela hic observanda. pag. 24.*
XXVII. *De venæ sectione. pag. 26.*
XXVIII. *De usu volatiliûm. pag. 27.*
XXIX. *De usu bezoardicorum. pag. 28.*
XXX. *De petechiis, angina, lingua paralytâ, veterno. pag. 29.*

Pet. Le Cerf Phil. & Med. Doct.

De

FEBRI GALLICA

Tractatus

Caput I.

De nomine.

QUOT malorum genera bellum inferat, neminem latet: quotidiana enim experientia docet, combustis à barbaro milite segetibus & villis, urbibusque solo æquatis, necesse esse ut incolæ patriæ suæ fines dulciaque arva linquant, ac in terris alio sub sole jacentibus asylum sibi quærant; ubi consumptâ, si quid adhuc superest, suppellectile, ipsi modò hoc modò illo vexantur morbo: donec auris vitalibus cassi, omni calamitate superiores tandem reddantur. Inter alia quæ nos Darmstadio profugos, ab anno circiter invasere mala, mentio præcipuè jam fiet febris cujusdam malignæ, quam *Galliam* appellare non vereor.

A

Cap.

Caput II.

De ratione nominis.

SI febris à *feruendo* sic dicatur, quia nulla datur sine fervore, illa profectò cenferi debet *maligna*, quæ *Gallica* dicitur. Cum enim circa finem Aprilis 1693. è regione Ladeburgi Nicrum inopinatò trajecissent Galli, tunc Hassiæ superioris incolæ fere omnes in febrim epidemiam incidisse visi sunt; non aliter ac si venenatis advenarum horum - ce vaporibus infectus fuisset aër. Si cui verò unius febris malignæ nomen plus arriserit, eo ut utatur per me licet: verùm cum *febris* hæc nullam malignitatem non involvat; Gallique pro causa hujus primaria habeantur, nemo vitio vertet, ut spero, si eadem ab ipsis denominationem suam sumpserit.

Caput III.

De sanitate & morbo.

VI Bi primùm anima est à corpore soluta, nil nisi pondus inutile terræ superest. Hinc qui cadaver motu orbatum intuentur (sensus enim motûs species est) ii sane vitam in motu positam esse intelligent. Cumque ab unâ veritate filo velut Ariadnæo deducamur in aliam, sic nobis *morbi & sanitatis* essentia in-

innotescit. Quemadmodum enim hæc (quæ nihil aliud est quàm perfecta microcosmi vita) in exquisito sanguinis & lymphæ, spirituunque motu consistit; ita etiam ex ejusdem motûs erroribus sequi oportere morbos manifestum est. At verò motus hic peccare potest vel in defectu vel in excessu; si primum, *capitis & membrorum gravitas; mensium parcitas; respiratio difficilis, malum hypochondriacum, melancholia, palpitatio cordis, lipothymia, paralysis, atrophia* & alia hujusmodi hominem cruciant: si secundum, tunc *affectus spasmodici, inflammationes, phrenitides, deliria* &c. & omnis generis febres foras erumpunt.

Caput IV.

De febribus in genere.

Difficillimum quidem est rerum essentias cognoscere; posito tamen nostro principio, *febrium* natura ob oculos se sistit denudata. Quid enim est febris in genere aliud, quàm *motus lymphæ, sanguinis, & spirituum præternaturalis actiones lædens?* quæ sane definitio, cum omni & soli definito conveniat, ipsiusque febris essentiam reddat notiozem, optima censerî debet: attamen febres considerari debent, vel *in fieri*, cum scilicet incipiunt, vel *in facto esse*; ac dico primo modo febres sumptas, in

glandulis adhuc nidulari. verum si secundo modo
 fumantur, tunc modus lymphæ in glandulis con-
 tentæ jam sanguini communicatur & *νεῖσιον* ejusdem
 turbat; ex cujus motûs *τόπω* & symptomatibus con-
 sequentibus, species *febris* discernitur; an v. c. *inter-*
mittens sit necne, an *maligna* vel non.

Caput V.

De Febris Gallicæ definitione.

Definitur *Febris Gallica*, *improvisa lymphæ &*
sanguinis effervescentia actiones subito & sine
intermissione ladens à miasmate Gallico spirituum
transpirationem impediende ortum ducens. Motus
 quem halitu suo impressit Deus primo Parenti, qui-
 que veluti perennatus in venis visceribusque nostris
 perferentur, appellatur *fermentatio*: morbis verò
 hominem obidentibus, præternaturalis factus est
 hic motus & à nobis dicitur *effervescentia*: siquidem
alkali Gallorum cum *acido* sanguinis Germanici
 mixto, effervescentiam oriri necesse est, eamque
improvisam, nam qualis causa, talis effectus. Im-
 proviso invasit *alkali* peregrinum, id circo cui modo
 mens sana erat in corpore sano, is jam de gravitate
 capitis & dolore vertiginoso queritur, ita ut *ὀφθαλ-*
μοί remanere nequeat; quin imò evadat clinicus.

Cap.

Caput VI.

De effervescentia lymphæ.

INjecto in hominem terrore quovis, cutis quidem & comæ rigent, si verò tempestas æstuosa, exercitusque multiplici lue refertus, effluviis veneno pe-
 joribus aëra conspurcarit; partes corporis aëri pro-
 ximæ & debiliores primùm ut inficiantur necesse
 est: hinc fit ut quæ in glandulis cutis & œsophagi
 continetur lymphæ, ab effluviis ejusmodi peregrinis
effervescentiam patiatur. Unde Fibræ cutis præter-
 naturaliter contractæ sensationem *frigus* dictam ef-
 ficiant; è contra vero in orificio superiori ventricu-
 li commotio talis oboriatur, quæ fibrillis ejusdem in-
 motum spasmodicum actis, vomitum excitat.

Caput VII.

De effervescentia sanguinis.

Mirum sane videri debet, quòd veteres *Febris*
 essentiam dixerint esse *calorem*: cum tamen
calor sit purum accidens & effectus febris. Dum e-
 nim æger ad cacochymiam dispositus, media æsta-
 te v.c. laborat *febri*; tunc è lymphæ quæ mox effe-
 ruit, nascitur sal peregrinum, quod per oscula vena-

rum sibi viam in cor & arterias paulatim cum fecerit, ex ejus affluxu æstuat, & in motum pellitur sanguis, unde fit calor; qui non cessat prius, quàm miasmata venenata vel obtusa partim præcipitentur, vel subacta per poros cutis cum sudore tum madore aliquatenus foras amandentur.

Caput VIII.

De subita actionum lesione.

DIvinum quid in morbis esse, apprimè dixit Hippocrates; veritasque hujus asserti in præsentipotissimum febrile se prodit. Quotidie enim videmus homines, quibus paulò ante optimè sapuerat cibus, quorum jam è faucibus vel ligneus, vel amarus vel aluminosus &c. sapor exhalat, cum appetitu prostrato, viriumque deperditione universali, siti autem modò majori, modò minori, prout lymphæ glandularum à fervore pyretico plus, minus, exhausta vel incocta est. In quo mehercule τὸ θεῖον nemo non animadverteret, si supremi Numinis cognitio certa, in mentibus hominum penitus inhæreret. Verùm proh dolor! Medicus omnia naturæ & sibi vulgò tribuit; æger autem salutem suam huic vel illi Medico acceptam refert, cum tamen solus Deus omnia in omnibus operetur.

Cap.

Caput IX.

De miasmatum existentiâ.

EX opere noscitur opifex, cumque Deus sit ens purissimum, natura quoque rerum omnium esset adhuc purissima, nisi hominis in peccatum lapsus eandem ita rebellem effecisset, ut astra contrariis suis aspectibus contagiosos in hominem influxus vibrare, terraque morticinos è sinu vapores etiamnum emittere non desinat. Quid plura? homo homini adeo adversatur, ut qui alias de proximo bene mereri teneretur, is hunc non ferro solum petere, sed etiam arsenicalibus morborum, quibus afficitur, *miasmatis* inficere videatur. *Sunt enim spiritus qui ad vindictam creati sunt* ut ait *Syrach* cap. 40. Bestiæ siquidem omnes, de quibus ibidem fit mentio, nihil sunt aliud quàm (meo quidem iudicio) *miasmata* diversi generis venenata, quæ hominem undique circumcunt.

Caput X.

De naturâ miasmatis gallici.

Nullum regnum sale volatili abundat magis quàm animale; & inter Europæos nulla gens in agendo promptior & irasci celerior quàm *gallica*: cum-

ca: cumque & ad agendum & ad irascendum falis volatilis copia eò major desideretur, *gallos* etiam præ cæteris eodem pollere certum est. Atqui experientia docet, quò magis quis movetur & agit, eò majorem etiam ejusdem falis in ipso fieri jacturam: ac proinde *gallos* in motu continuo existentes, de eo sicut & de sanitate perdidisse quàm plurimum; quibus ergo effluviis volatilibus aër calidior imprægnatus, lympham corporum homogœneorum ex parte incoquit & ex inde sal quoddam, ex volatili & austero mixtum, exsurgit.

Caput XI.

De impedita spirituum transpiratione.

QUAMDIU homo sanus est; omnia sunt in ipso *σύψποια consluentia*: & ab arteriarum (quæ ad omnes corporis partes pertingunt) capillamentis, gelatinam nutritam fecernunt glandulæ tenues, à quibus fibrillæ ad oscula venarum tendentes, sanguinem à nutritione residuum per easdem venas ad cor & à corde in pulmones mittunt: in quibus (ut ego sentio) spiritus aëreobalsamicus, qui inspiratione attrahitur, sanguinem per pulmones in arterias

rias remeantem balsamo suo vitali rursus saturat; spiritusque sic restaurat deperditos, & consistentiam motumque sanguinis circularem conservat. Si autem miasmata quædam accesserint; tunc syn-
 crasia Massæ sanguineæ perturbatur, & à fermento volatili austero spiritus commoti simul & irreti-
 ti, in tubulosas partium fibras vix influere possunt: quibus ergo collabentibus fibris, *spirituum trans-*
spiratio impeditur: ut in *tractatu nostro Physiologi-*
co, brevi, Deo dante, typis mandando fusiùs vide-
 bitur.

Caput XII.

De constitutione corporis.

IN omnia Neotericorum verba, spretis absque
 ratione veterum dictis, jurare mihi non placet.
 Quamobrem è septem *rebus naturalibus* veterum,
 una potissimum, scilicet *corporis constitutio*, causæ
 ad *febrim gallicam* disponentis vices obire videtur.
 Hæc autem peccat vel respectu humorum, vel spi-
 rituum vel partium ipsarum. Si ergo in humori-
 bus plethora adsit: malum. *αἱ ἐπ' ἀνερον ἐνεξίαι σφα-*
λεροί, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν. *Quæ perfectè bonæ sunt*
corporis habitudines, hæc lubricæ & instabiles sunt;
 B præ-

praesertim si ad extremum pervenerint : ut ait Hippocr. aphor. 3. sect. 1. hujus veritatis exemplum praebat ante aliquot septimanas vir quidam nomine Sprenger è turmis equestribus *Serenissimi Principis* mei, levis armaturæ miles. Is aliàs Athletica constitutionis, optimâque valetudine utens repentino horrore caloreque & cephalæa ingenti corripitur, cum læsione loquelæ & petechiis à die Martii 3. ad 15. apparentibus : qui tamen Deo aspirante labori meo iterum convaluit.

Caput XIII.

De spiritibus & partibus.

CUM spiritus sint æther purissimus à supremo rerum conditore homini communicatus : isque sit unus & idem ; constat unicam, non triplicem in hominibus spirituum speciem reperiri. Præterea cum diversa sint hominum ingenia, majorque vel minor in morbos proclivitas ; id à spirituum copia vel eorundem in organis motu magis vel minus libero, ut plurimum, petendum esse autumamus. Hinc fit ut qui ob pororum laxitatem tenerioremque partium texturam instar spongiæ se habent, ii *febri gallica* magis obnoxii sint : alii verò quibus ob oscula va-

forum

forum pororumque cutis constrictiora, spirituum motus temperatior est, non item.

Caput XIV.

De aëre.

CUm plura in rerum natura certò eveniant, quæ multorum ingenii aciem fugiunt: ea ut falsa rejicere non decet, quæ à nobis non intelliguntur; modò non sint rationi contraria. Idcirco nos diligentiam veritatis scrutatricem ubique amantes quæ de aëris mutationibus Astronomia docet, non miramur solùm, verùm etiam ea in facienda Medicina maximæ utilitatis esse existimamus. Cujus rei veritatem, ut aliàs, ita ante aliquot dies iterum sumus experti in quodam Aulico Tubicine, nomine **Her-
mann** / viro saturninæ constitutionis, ætatisque quadragesimæ, is die Martii $\frac{13}{2}$ frigore subito per $\frac{3}{4}$ hor. durante, cum dolore capitis, calore, tussi & dolore lateris punctorio subsequenteribus, correptus est; ita ut pleuriticus decubuerit tunc temporis, cum luna in signo piscium & malevolus seu ☐ Solis & Saturni aspectus existeret. Ex qua relatione Planetas ad aëris immutationem, morbosque procreandos multùm conferre, si non omnes, saltem nonnulli (ut spero) facilè concedent.

Caput XV.

De cibo & potu.

NON insulsè dicitur quòd gula plus cædat, quàm gladius. Luxus enim in causa est cur plures in pauperibus rusticorum tuguriis canities conspiciantur, quàm in magnatum palatiis. Hi enim, vel qui opimè vivunt, *cibus & potu* in ventriculum plus æquò ingestis, fermentum ejusdem obtundunt & impeditur concoctio; quâ non ritè peracta, vapores fuliginosi & excrementitii colliguntur in partibus, è quibus talia oriuntur fermenta peregrina, quæ infinitis propemodum morbis ansam præbent. Unde optimè monet Hippocrates *κὶ γὰρ αἱ πληρώσεις αἰ ἐς τὸ ἕχατον ἀφίγμιναι χαλεπαί.* Aphor. I. sect. I. *Siquidem repletiones ad extremum progressæ, sunt periculosa.* Inde enim *motu* præternaturali in sanguine & spiritibus orto; *sedes*que seu *quiete* lymphæ in glandulis producta, jam *febris* in procinctu est.

Caput XVI.

De somno & vigiliis.

Præclarè quidem cecinit Poëta

Quod caret alterna requie durabile non est:

Sic

Sic enim est à supremo rerum Moderatore decretum, ut in hoc potissimum vita mortalium ab immortalium vita distinguatur. Cœlestes enim animæ in continuis erga summum Bonum, cum gratiarum, tum amoris actibus eliciendis indefessæ aeternum exsultant: cum è contra quamdiu homo vivit, *somnus vigiliis, & vigilia somno* succedere debeant; ast hîc sicut in *animi pathematibus* modus est servandus, ne vel aggravescat vel contabescat corpus: aliàs somno longiori *excernenda* retinentur & *retinenda* excernuntur vigiliis prænaturalibus. Quæ omnia cum exquisito sanguinis & lymphæ motui contraria sint; nemo non intelligit quantum hinc sanitas detrimentum patiatur, qualisque *febri* præbeatur occasio.

Caput XVII.

De vermibus.

TAm ex rebus *non naturalibus* sc. aëre &c. male affectis, & ab earum usu immodico, dicimus oriri in microcosmo *res contra naturam*: orta siquidem exinde humorum *scæci vermes* quotidie produci nemo, credo, negabit.

Nam vitium capiunt, ni moveantur, aqua.

Quorum insectorum exempla quàm plurima in

præsenti *febri epidemia* ab aliquot mensibus habuimus; ac potissimum in quodam plethorico à servitiis Sereniss. Principis HENRICI Hassiæ Landgravii. Servus hic nomine Caspar Girau 27 annor. laborabat die 8. Januarii *febri* quam describim⁹, & ab usu medicamentorum, stagnantium succorum corruptionem impediendum, is plusquam triginta *lumbricos* cum *ἔμφροια κάτω* excrevit. Hos autem non in intestinis solum delitescere, sed & in ventriculo nidulari, ex eo patet, quòd muliercula 25 ann. Proconsulis Darmstadini (nomine *Steisfinger*) filia, eaque à 6 mensibus gravida; sicut & concivis Faber tormentarius nomine *Seeboht* ambo uno eodemque tempore, scilicet in principio Augusti 1693. ab hac *febri maligna* lecto detenti cum delirio & summa virum dejectione, statim ab assumpto Alexipharmaco *lumbricos* *άνω* excrevere. Pluribus aliis silentio prætermisissis & jam *per Dei gratiam* sanis.

Caput XVIII.

Idea febris gallicæ.

EX supra dictis, *febris* hæc de facie nemini non erit nota: ne quid tamen ejusdem descriptioni desit; sciendum quòd, quando quis horripilationem, horrorem, vel etiam frigus inopinum passus est: sequente

quente postea calore intenso totius corporis; cum dolore vel saltem torpore capitis, somno longiori (quem nos per tres dies durasse vidimus) appetitu prostrato: siti, vel etiam sola oris siccitate nimia: aridura faucium: difficultate loquendi, linguæ crassitie vel ejusdem paralyti: cum minus libera respiratione & dejectione virium totali, animi deliquio: apparentibus quandoque maculis puliceis vel quasi, quandoque non: pulsû semper celeri, sed tamen aliquando magno & æquali, aliquando undante cum repetitis tendinum, nervorumque ad carpos pertinentium subsultibus: urinâ corticis aurantiorum colorem referente cum atomis turbidis per totam ejus substantiam notantibus sine sedimento: sciendum, inquam, quòd si ista, si non omnia adsunt, saltem ad futura videantur; tunc de *febris malignæ nostræ* adventu non amplius esse dubitandum.

Caput XIX.

De cura αεθδεόμοις.

Accersendus ergo ad ægros Medicus, ea qua pollet industria uti debet, quò, qui adhuc sani sunt, juxta *αεθφυλακτικῆς* leges, salvi servantur. Quamobrem ante omnia vel aër mutandus vel corrigendus: cumque is ab omnibus mutari nequeat, ita potest

testà pauperibus fumo tabacci, pulvere pyrio, baccis juniperi vel ligno ejusdem accensis corrigi. Divites verò ad hunc finem uti possunt vel fumo succini & thure cort. thymiam. vel massa ad fornac. vel specieb. pro suffitu. &c.

Cum autem vestimenta de aëris impuri vaporibus plurimùm in se recipiant, pluresque extraneis facilem apud se aditum præbere teneantur, ii trochiscorum Bezoardic. ordinationis nostræ, unicum in ore contineant: quorum hæ sunt vires. Spiritus exhilarant; cor confortant, appetitum acuunt, veneni externi effluvia corrigendo obtundunt. Infimæ verò fortis homines, qui ægris opem ferre coguntur, frustulum rad. Angelic. vel myrrh. Elect. masticent. Omnibus interea conducet Ra Bezoardica mane jejuno stomacho ad aliquot guttas assumpta.

Caput XX.

De diæta.

Temperantia in victu hîc maximè desideratur: Ergo sani sic utantur cibis, ut eorundem à pastu semper supersit appetitus. Interim abstinendum plane à piscibus, stagnantis aquæ incolis, chylum enim viscidiorum hi reddunt & succum laudabilem corpori haud impertiuntur. Eadem quoque est carnum aëri æstivo expositarum ratio: siquidem

dem à variis muscarum generibus quoties impetuntur; pluribus toties vermium seminibus inficiuntur, quorum ovula in microcosmo quin excludantur sapissimè, quid obstat? item *fructuum horariorum, immaturorum ve aliorum* usus nobis improbat: illi enim vermiculos fere semper includunt; hi è contra sale volatili austero homini adverso pollut. Vitandi pariter sunt *δυσωπιοι* & flatus generantes cibi, ut *lentes, pisa* &c. Hæc enim obstructions pariunt; vitamque sedentariam agentibus, magis, quàm corporis laboribus deditis, nocent. Ubi sanè consilium Hippocr. 17. sect. 1. sequi debemus: *δοτέον τι καὶ τῷ ἔθει καὶ τῇ ὥρῃ καὶ τῇ χώρῃ καὶ τῇ ἡλικίᾳ. Dandum aliquid consuetudini, tempestati, regioni & aetati.* Quibus denique sericus (ut ita loquar) vel papyraceus ventriculus est; iis author esse ut quotidie circa horam ab assumpto prandio quintam, unum aut alterum vini non fucati cyathum mediocrem haurirent. Ideo enim (ut op nor) inquit Hippocr. Aphor. 11. sect. 2. *ῥᾶον πλεονεῖ δαίτη ποτὸς ἢ σίτης; facilius est refici potu quam cibo*, quia scilicet, illius celerior fit per totum corpus distributio; atque ut postea Aphor. 18. idem innuit, *ἡ τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως ταχέαια καὶ αἱ διαχωρήσεις γίνονται: eorum qua confertim & celeriter nutriunt, celeres etiam sunt egestiones.* Cum ergo circa dictum

C

atum

Etum tempus in ejusmodi hominibus (ob nondum absolutam coctionem) ciborum reliquæ liquore privata in fundo ventriculi adhuc delitescant (quod in iisdem ructus nidorulenti testantur:) hocce assumpto potu ipsi irrorantur, cibi, & superstites eluuntur viscidæ facces atque sic ad cænam captandam ventriculus aptior redditur, & revera acuitur appetitus.

Caput XXI.

De motu, quiete, somno, excretis

Et retentis.

SUblato motu periret quidem macro & microcosmus: verum in hoc Natura dat leges, quas infringere homo nunquam debet. Quapropter statim à pastu, cursibus nimis, non est defatigandum corpus: sic enim perturbatur concoctio, humores colliquescent & spiritus exagitantur, *Herniisque, pleuritidi, diarrhæis, dysenteris ac febribus* datur locus; è contra ne sedeat homo statim, cum recessit à mensa, deambulet potiùs parumper; & si labori suo vacare teneatur, fiat id moderatè primum, per unam, alteramve horæ partem dimidiatam: atque per illud temporis spatium potest etiam quis à meridie somno indulgere. Cum autem ex

erro-

erroribus in *dieta*, *motu* & *somno* commissis, vitia in *excretis* & *retentis* ortum ducant: si alvi obstructio adfit, eadem laxetur; quin imo si alvus per aliquot dies jam laxa incommodo sit, ea sensim, sensimque adstringatur.

Caput XXII.

De movendâ alvo.

Non sum nescius quàm plures libros catharticos esse refertos; sed ne quid hac in parte in me defideretur, ex iis quæ mihi in usu sunt, unum aut alterum obiter proferam. Ante omnia tamen (ut monet Hippocr. Aphor. 9. sect. 11.) τὰ σώματα γενέσθαι εὐπερὶ καθαίρειν ἐνδοξα ποίειν. *Si quis velit corpora purgare, ea ut facile fluentia reddat oportet.* Quam ob causam, in quibus subjectis humores viscidiores, nec adeo subjugibiles sunt, iis loco digestivi præbeatur in juscule pulvis sequens.

Rec. pulv. crem. ꝛ

ꝛ Blat. ā ꝑ

M. d. f. digestiv-pulver: des abends bey schlaffenzeit auf ein mahl in brühe einzunehmen.

Die sequenti mane pro adultis

C 2

Rec.

Rec. pulv. resin. scammon. gr. iij.
 ⁊ emet : gr. ij.

M. d. f. Purgier: Pülverl. frühe nüchtern in einwenig
 brühe auff einmahl einzunehmen.

Cum verò Magnates pulverum fastidio ut pluri-
 mum teneantur

Rec. resin. jal. c. pistac. excort. q. s. contrit. gr. xij.
 aq. ros. zij.
 colat. add. aq. cinnam. zj. & ⁊ emet. gr. j.
 (si lubuerit)

M. d. f. Purgier: Tränckl. jeweilen einen Löffel: voll dar-
 von einzunehmen.

Caput XXIII.

De adstringenda alvo.

AN ea quæ retineri deberent, excernantur, nec-
 ne; ex dejectionum substantia & colore judica-
 ri potest. Interea in ea sum opinione ut credam in
diarrhæis, orificii inferioris ventriculi fibras esse flac-
 cidiores ac earundem in praxi semper habeo rationem.
 Laborabat non ita pridem Vir generosissimus,
 Mæcenasque meus gratosus per tres dies *di-*
arrhæa molesta cum appetitu fere prostrato: cui so-
 lius

lius *Essentia stomachica* fibras constringentis usus, cum *oleo externo* (Deo iuvante) profuit.

Quod attinet ad *dysenteriam* (quam in humorum acrimonia & sanguinis subtilitate oscula vasorum vel erodente vel penetrante consistere autumamus) miramur à quibusdam Practicis in tali casu *purgantia* præscribi, cum tamen ea minimè indicentur: licet enim materia peccans interiori intestinorum tunicae forsan adhæresceret, eandemque corroderet; ibidem tamen *purgantia* non haberent locum; cum ipsa irritatio tenesmusque intestinorum præfens contraindicent. Quapropter cum *abstergentibus* tum humorum acidum *obtundentibus*, *incrassantibus*que utendum esse existimo: qualia sunt *clysteres hordeacei* & *oleosi* cum *gelatinosis* & ∇ eis internis; hæc enim vel sola, vel cum anodynis propinata, mira præstabunt.

Caput XXIV.

De prognosi.

Observatis hisce $\pi\rho\sigma\phi\upsilon\lambda\alpha\kappa\tau\iota\kappa\eta\varsigma$ legibus, si quem nihilominus *febri gallica* Deus percusserit; tunc Medicus omnia in melius vertenda cognoscet, Si (I) *cibi naturaliter vel quasi tales sapiant*. Signum enim est fermentum ventriculi naturale nondum esse

à veneno totaliter corruptum. (2) *Si pulsus aequalis sit*: Sic enim aequalis notatur, sanguinis ab arteriis in venas liberè circulantis, syncrasia. (3) *Si de doloribus extremorum queratur ager*: Nam ita materiam à corde propulsam esse, & mentem sibi constare certum est; ut ait Hippocr. *Aphor. 6. Sect. 2.* ὁκόσοι πονέοντες πὲρ σώματος, τὰ πολλὰ ἢ πόνων ἔσθαι αἰσθάνονται, τὰ τέτοιον ἢ γνώμη νοσέει. *Quicumque dolentes aliquid in corpore, non sentiunt plures è doloribus, his mens agrotat.* (4) *Si sudor cum εὐφορέια vel saltem mador quandoque adsit*: Hic enim naturæ sibi noxia expellentis robur, ac proinde transpirationem aliquatenus liberam esse denotat. (5) *Ἰσοκρίσια seu gravitas auditus*; talis est siquidem indoles veneni gallici (ut pote volatilis) sursum ut tendat & in glandulas auribus vicinas, ut partes debiles avolet, ibique velut in superiori cucurbitæ parte sublimatus concentratur: quam ob causam silentio prætermittere non possum quid in virgine quâdam, senatoris Darmstadini nomine *Schauber* / filia, ante novem menses contigerit; in ea enim hæc maligna febris in talem denique *parotidum abscessum* erupit, ut ab effluxu unius libræ puris ejusdem surditas cum morbo per Dei gratiam evanuerit.

* *

Cap.

Caput XXV.

De cura & emeticorum usu.

Licet apud Medicos Parisienses in more positum sit in *presenti febre*, emetica solum tunc propinare, cum omnia in extremo sunt & sanitatis recuperandæ spes fere omnis evanuit: cum sint, ut ajunt,

Extrema extremis adhibenda remedia morbis.

Nos tamen in hoc monentem Coum sequimur Aphor. 29. sect. II. ἀεχομένων τ̄ νόσων, ἢν τι δοκέη κινέειν, κίνετ̄ ἀμαζισῶν δὲ ἡσυχίαν ἔχειν βέλτιόν ἐστι. *Incipientibus morbis si quid videatur movendum, move: vigentibus verò quiescere satius est.* Atque ita examinata prius agri constitutione, causaque morbi procathartica, *emeticum* die primo præscribimus. Et certe tunc emeticum præscribi debet, cum natura violentiæ medicamenti resistere, & materia peccans foras excerni adhuc potest: atqui solo initio morbi natura potis est resistere violentiæ emeticorum, & lymphæ seu fermentum febrile excernendum, reperitur potissimum in principio morbi, in glandulis œsophagi (ut ex supra dictis patet.) ergo &c.

Cap.

Caput XXVI.

De cautela hinc observanda.

Iure meritò docet Hippocr. Aphor. 25. sect. I. ἢ ἴδια δὲ καθάρσασθαι, καθάρσασθαι, εὐμφέρεται τε, καὶ εὐφώρως φέρεται. τὰ δ' ἐναντία, δυσφείως. *Si qualia oportet purgari, purgantur, confert & facile ferunt; sin contra, difficulter.* Innuens sic, varios esse in corpore succos quandoque peccantes, qui si suo tempore foras eliminentur, bonum: sin minus, malum. Quod sane Medicorum privigni non intelligunt, quatenus in omnibus morbis indiscriminatim cathartica & vomitoria agris propinant, atque ita hos jam debiles ad extrema redigunt vel Libitinæ impunè offerunt. Id autem unico exemplo sed ad praxin utilissimo confirmabitur.

Vir quidam nomine **Pechstadt** psalter Aulicus, alias robustæ naturæ, annor. circiter 37. corripitur pleuritide vera cum delirio die ultimo Januarii 1694. huic die quarto morbi vena secatur à chirurgo & propinatur purgans: unde labefactatis viribus decumbit æger liminibus orci proximus; die 19. februarii accersor, videoque hominem exsiccum & facie Hippocraticâ larvatum, ronchos ducentem; cum respiratione impedita, pulsû debili & quasi depresso, siti tamen, sed appetitu prostrato.

Re-

Recensetur mihi historia morbi (æger enim erat antea scabiosus) atque ex relatis circumstantiis, in eodem esse conjeci dispositionem ad empyema, cum febris lenta: ab expectoratione scilicet non absoluta & scabie intrò repulsa, fretus doctrina Hippocr. Aphor. 8. sect. v. ὅσοι πνευριτικοὶ γενόμενοι οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρησι, τετάρσι τις ἐμπύημα μέγισταται. *Quicumque pleuritici facti expectorabilem materiam non expuunt intra quatuordecim dies; his in empyema convertitur.* Quamobrem præscripta primò diætâ humida & confortante, opus esse duxi, ut æger diaphoretico temperatiori, antiscorbuticis mixto, simulque materiam viscidam, pulmonum bronchiis adherentem, ad expectorationem promovente, uteretur; à cuius medicamento per octiduum usu, mirum quantum, mutatus est æger! qui priùs cute lævi ossibus hærente superbiebat, is scabie universali jam scatet (ob diaphoresim sc.) qui ducebat ronchos, tantam purulentæ materiæ copiam excernit ut mirentur adstantes: cui erat appetitus prostratus, huic ita sapit cibus, ut is famem (ob præscriptam diætâ) explere haud possit; è quibus meliora ominans, *antihectica balsamica* internè præscripsi, ita ut idem per D. O. M. gratiam jam prospera utatur valetudine.

D

Cap.

Caput XXVII.

De venæ sectione.

Quidquid dicant *vena sectionis* Antagonistæ, maximum in ea, cum sanitatis tum vitæ conservandæ præsidium, positum esse existimo. Et revera pulcherrimum hujus rei exemplum hic in ædibus honestissimæ Matronæ *Heroldin* nuper habuimus: siquidem die 10. febr. 1694. hora quarta pomeridiana servus quidam *Paulus Neumang* dictus, isque plethoricus, in talem *Apoplexiam* incidit ut idem absque motu & sensu per horam resupinus jaceret. Accersitus, frixonibus, clamoribusque utor, sed frustra. Tandem jubeo secari *venam* in brachio, cumque sanguis non flueret; manum ægri in aqua calida poni & in pollice secari *venam* volui: ex qua cum manaret sanguis, intra unius horæ spatium ægrum ad se rediisse vidimus, ex omnibus membris nil nisi caput movens. *Nervinisque* postea diligenter adhibitis ac postremò laxante, is *Deo benedicente* post aliquot dies perfectè convaluit.

In *febri* pariter hac maximi est phlebotomia auxilii, modo eadem cum judicio in principio morbi adhibeatur, & in iis hominibus in quibus ventilandus est sanguis & ubi spirituum à veneno irre-

irretitorum motus, liberior reddendus est. Idque ante tres dies, sc. 29. Aprilis in curando Serenissimi Principis mei auriga primario manifestè iterum patuit.

Caput XXVIII.

De volatilium usu.

CUM in præfenti feбри, per *vena sectionem*, miasmatis pyretici reversio à circumferentia ad cor fieri possit, Medicique iudicium hac in parte sit difficile, ἢ κελοῖς χαλεπή; in hoc malum ne quis incurrat, *volatile* quoddam lene ægro proponet; ac meritò quidem hîc inter *antypiretica* primum locum tenere debent *volatilia*: usu enim horum ce proportionato febrile venenum per ἀδελον διαπνοην paulatim expellitur, redditurque massæ sanguineæ consistentia naturalis ac debita. Interea memor esse debet Medicus Aphor. 16. sect. I. ubi dicit Hippocr. αἱ ὑγρὰὶ διαταὶ πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι εὐμφέροσι, *victus humidus febricitantibus omnibus confert*; quo sane *potus juleporum* vel *prisana refrigerantis* subintelligi videtur: sic enim deperditio lymphæ partim ab ardore febrili incoctæ vel exhaustæ, partimque à medicamentorum volatilitate

foras expulſæ reſtauratur: illi autem ex *aquis bezoardicis* ſimplicibus conficiuntur, hæc verò ex earundem herbis ab eo præſcribi poterit, cui materia Medica ſelectus cognitus eſt.

Caput XXIX.

De uſu Bezoardicorum.

NE tamen pauperibus quid deeſſe videatur, his *tinctura Bezoardica* uſus, cum *Decocto card. benedict.* vel *rob ſamb.* pro potu ordinario poterit imperari. Quidquid ſit, volatiliuſum ſequi debent *Bezoardica temporata* cum in forma liquida, tum in ſicca, ipſa enim tempeſtivè & prudenter, uſurpata mirum quantum juvant! hæc ſiquidem interno viſcerum calore quaſi extracta, ventriculorum omnium cavitates exhalationibus ſuis ſuaviter implent; aëremque vitalem in iis contentum, & miaſmate pyretico inquinatum fumis balſamicis odorant, ac ſpiritus jacentes & afflictoſ erigendo reſciunt: unde veneno à centro ad circumferentiam expulſo, ſequentia potiſſimum ſymptomata emergunt.

* * *

Cap.

Caput XXX.

De petechiis, angina linguæ, paralyfi, veterno.

INter ea quæ *febrim gallicam* consequuntur, quatuor solum hac vice obiter proponenda veniunt. sc. *petechiæ* quas, à pulicum moribus unius carentia punctuli in medio discrepantes, nihil aliud esse dicimus, quàm particulas veneni febrilis subtiliores, quæ medicamentorum vel vigentis naturæ vi procul à corde amandata, capillamenta vasorum dirumpendo, sanguinem cui inhærent secum rapiunt, cutique, ob poros ejusdem obstructos subjacent. *Paralyfis* verò *linguæ* ex eo potissimum oritur, quòd ejusdem nervorum succus ab exspiratis aëreo-pyreticis atomis coagulatus, influxum spirituum linguam moventium impediat; cui malo sicut & *angina* raninarum sectione & *gargarismatum* usu felicissimè subvenimus: quod profectò patuit in supra allegato milite qui per octo dies mutus & elinguis decubuit; sicut & in mercatore quodam hujus civitatis, nomine Stephan. *Sturhan* qui per quinque dies integros in cubiculum ingredienti obtuto nutu mutus intuebatur, viris nunc per Dei gratiam maximè sanis. Verum enim verò caveat

chirurgus ne venarum loco, arterias, vel ambas simul incidat: aliàs æger periculo mortis non caret; quod nos decimo die Febr. 1694. hic loci contigisse vidimus, in fabro quodam lignario, annos 29. nato; quique Simon *Sinckebügel* / vocatur: huic ab hac febri maligna decumbenti secantur raninæ, sed intra 24. hor. spatium sanguis arteriosus coralliis rubicundior, quatuor repetitis vicibus copiosè effluerat; cum ego accedens adstringente quodam hunc, bono cum Deo, stiti.

Ultimum quod tractandum restat, est sopor quidam gravis, quem vidi in muliere sutoris Darmstadtini nomine Samuel Abel; quæ per tres dies integros noctesque totidem dormivit & jam sana est. Vidimus hunc etiam in eximie spei Adolescente consobrino meo. Hujus autem *veterni* causa in effluviis austeronarcoticis, quæ partim cerebri poros constringunt, partim spiritus ligant, contineri videtur; unde *acida* & alia ejusmodi *spiritus excitantia* maximæ erunt utilitatis.

Hæc sunt, quæ ut Clementissimo Serenissimi Principis mei mandato

dato, humillimè satisfacerem, mihi per trium hebdomadam angustias praxeosque labores conscribere licuit: iis utere Lector & fave.

Tibi vero Deus T. O. M. sit Laus, honor & gloria pro iis, quibus Tu per viginti studii Medici annos cumulasti me, benedictionibus: benediculteriùs tamdiu laboribus meis, quamdiu hi in omnipotentis gratiae Tuae laudem, proximique salutem tendent.

F I N I S.

Calice
lato, humillime satisfactorem
ni per triam hebdomadam signi-
fias praesensque labores conscrip-
te licuit: us urete Itegor & fave.

Tibi vero Deus T. O. M. M.
Tans honor & gloria pro his quibus
in per signis studii Medici annos
cumulatissime, benedictionibus: be-
medicantibus tandem laboribus me-
is, quomodo hi in omnipotentia gra-
tie tuae laudem, proximique sa-
lutem tendent.

F I N I S




116

(X228 1319)







19.

ERNESTO LIDOVICO,
Phil. & Med. Doctoris,
Nec non Serenissimi Hassiæ Prin-
cipis Auliatræ & Physici Darmstadini,
De
FEBRI GALLICA
TRACTATUS.

FRANCOFURTI
Apud MARTIN. HERMSDORFF.
Typis JOHANNIS WUSTII.

M DC CXIV.

